Scholar. Piar. Coll. Crac. Conclusiones theologicae scholastico-dogmaticae.

Conclusiones

Teol. 1617

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

SCHOLASTICO-DOGMATICÆ

Ad mentem SS. Patrum
ac præsertim
S. THOMÆ AQUINATIS
Angelici Ecclesiæ Doctoris
In Collegio Cracoviensi
Scholarum Piarum
Ad oppugnandum

PROPOSITÆ.

Annô Domini 1772.
Mense Junio.

QUis disputandi modus, quænam tandem vis intelligendi, atq; potentia, quæ vivacitas rationis, quæ acies longitudinis ostendet - .. quomodò sit Trinitas, Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum; non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est; credere Pietas est; nosse via, & vita æterna est.

S. Aug: Lib: 15. de Trinit: c. 16. n. 9.
S. Bernardus Lib: 5. de Consid: c. 8.

Sine illa (gratia) vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Quid jucundiùs debet esse, vel infirmis gratiâ qua sanantur, vel pigris gratiâ, qua excitatur, vel volentibus gratiâ, qua juvantur. S. Aug: Lib: de grat: & liber. arbitr. Cap: 17. n. 33.

Salva proprietate utriusq; naturæ, & in unam coeunte personam, susceptam esse à Majestate humilitatem, à virtute infirmitatem, ab æternitate mortalitatem.

S. Leo Ep: 24. aliàs 22. C. 3.

Naturalia jura Divina quadam Providentiâ constituta semper firma, & immobilia permanent. Ex §. pen: Inst: de J.N.G. & C.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Ex Tractatu de Trinitate.

I.

TRinitatatis Myſterium ſola ratione naturali Duce & Magiſtra, etiam ſuppoſita illius fide, ac revelatione non poteſt demonſtrari poſitivè, ſed negativè tantùm. II. Solis Judæorum Patriarchis, Prophetis, & Viris ſanctitate conſpicuis aperta hujus Myſterii revelatio conceſſa fuit; Communi Judæorum vulgo meritò denegata; Vigebat tamen apud Judæos inter legis peritos ſubobſcura quædam de Sanctiſſima Trinitate traditio. III. Gentiles Philoſophi accuratam, & rectam non habuerunt SS. Trinitatis notitiam, & ſi quid in ſcriptis ſuis de illa adum-

brarûnt, totum à Commercio, quod cum Hebræis habuerunt, accepere. IV. Mysterium SS. Trinitatis Fundamentalis est Fidei Christianæ articulus, cujus aperta cognitio ac Professio ad salutem prorsus necessaria est. V. Datur in Deo vera, & propriè dicta processio. VI. Duplicem autem illam esse; non plures, non pauciores profitemur. VII. Hujusmodi autem processiones Divinas immanentes esse, æternas, substantiales, necessarias, metaphysicas, ab omnibus creatæ productionis imperfectionibus longius sepositas ac segregantas inviĉtè demonstramus. VIII. Discrimen esse inter generationem Filii & processionem Spiritus Sancti certa fides docet, nulla sufficiens, ac certa ratio demonstrat. IX. Sunt in Deo veræ, ac reales relationes originis; Quæ nec accidentales sunt, nec adventitiæ, sed essentiales, internæ subsistentes ac omni respectu veræ,

ac

ac reales. X. Quatuor duntaxat ſunt in Deo relationes originis, ſcilicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva. XI. Relationes originis, quæ ſibi mutuè opponuntur, paternitas Filiatio, & ſpiratio activa comparata cum paſſiva realiter inter ſe diſtinguuntur; ſpiratio verò activa non diſtinguitur realiter à paternitate, & filiatione, ſed virtualiter tantùm. XII. Tres in DEO Perſonæ eſſe realiter diſtinctas in una, & eadem Divina ſubſtantia firmiſſimum eſt Fidei noſtræ dogma. XIII. Chriſtus ratione ſuæ naturæ Divinæ prius extitit, quàm ex ex Beata Virgine naſceretur. XIV. Chriſtus ut DEUS æterna generatione à Patre Divino exivit. XV. Chriſtus natura & ſubſtantia unus eſt cum Patre DEUS, ſeu ipſi conſubſtantialis. XVI. Conſtans ac perpetua ab Apoſtolis, & SS. Patribus usque ad Nicœnum Concilium defluxit, quæ ad hanc nsque diem perducta

eſt

eſt traditio, de tribus in Deo uno diſtinctis Perſonis, de æterna Filii generatione, ac conſubſtantialitate. XVII. Spiritus Sanctus vera eſt, ac per ſe ſubſiſtens Perſona. XVIII. Spiritus Sanctus eſt verus DEUS, Patri, & Filio conſubſtantialis. XIX. Tres ſunt in Deo ſubſtantiæ relativæ; nulla verò communis, & abſoluta. XX. Admittendæ ſunt in Deo notitiones, & quidem numerô quinque, non plures, nec pauciores, nempe innaſcibilitas, Paternitas, Filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva. XXI. Spiritus Sanctus à Filio procedit; adeoque particula, Filioque jure ac merito addita fuit Symbolo Conſtantinopolitano.

EX TRACTATU
De Gratia Chriſti.

I. HOmo in ortu ſuo juſtitiam originalem ſanctitatem, immortalitatem &c. à Deo accepit, Quæ juſtitia originalis, ſanctitas,

&

& immortalitas primi hominis ſu-
pernaturalis fuit, non verò natu-
ralis. II. Status naturæ puræ poſſi-
bilis eſt, ac nulla ex parte, ſive
Dei, ſive hominis, repugnat. III.
Semipelagiani omnes gratiæ inte-
rioris prævenientis neceſſitatem
ad initium fidei conſtantiſſimè ne-
gaverunt. IV. Homo poteſt ſine
ſpeciali Gratiæ auxilio cognoſcere
aliquas veritates naturales, tum
ſpeculativas, tum practicas. V.
Idem verò homo ſine gratia non
poteſt potentia morali cognoſcere
omnes omnino veritates naturalis
ordinis, ſeu collectivè, ſeu diſtri-
butivè ſumptas; poteſt tamen phy-
ſicâ potentiâ; modo tamen obje-
ctum ſit naturale tum ex parte ſui,
tum ex parte medii. VI. Non
poteſt homo verum ſupernaturale
aprehendere ſine revelatione ex-
terna, nec illud certò cognoſcere
ac credere ſine gratia ſupernatu-
rali. VII. Sine ſpeciali Gratiæ in-
terioris adjutorio neq; fides, neq;
ipſius

ipſius initium haberi poteſt. VIII. Sine ſpeciali etiam gratiæ interioris adjutorio nullum poteſt homo bonum opus morale ſupernaturale pertinens ad ſalutem velle perficere. IX. Fieri poſſunt absque fide aliqua opera moraliter bona, nec conſequenter omnes infidelium actiones vera ſunt, ac propriè dicta peccata. X. Poteſt homo ſine habituali ſeu ſanctificante gratia bonum opus aliquod morale ordinis non tantum naturalis, ſed etiam ſupernaturalis per gratiam actualem perficere. XI. Homo lapſus non poteſt ſine ſpeciali auxilio gratiæ diligere Deum ſuper omnia ut auctorem naturæ amore tam affectivo quàm effectivo; Neq; graves tẽtationes ſuperare. XII. Non poteſt homo ſe ullo pacto præparare ad Gratiam ſine gratia; Neque ſine ejusdem adjutorio à peccato reſurgere. XIII. Homo juſtus præterhabitualem & ſanctificantem gratiam indiget actuali

ad

ad bonum supernaturale operandum; Idemque sine speciali Divinæ gratiæ auxilio non potest in accepta justitia perseverare usque ad vitæ finem. XIV. Nomine gratiæ sufficientis eam Ecclesia intelligit, quæ expeditam, proportionatam, & relativam ad præsentes subjecti circumstantias cōfert voluntati ad opus bonum potentiam, ac vires pares, & æqnales superandæ oppositæ concupiscentiæ: nec aliter etiam intelligit gratiæ interiori resisti, quàm quod eo privetur effectu, quem relativè ad oppositam actualem concupiscentiam ex ordinatione, & voluntate DEI hic, & nunc habere potest. XV. Admittenda est in præsenti statu gratia verè ac propriè sufficiens. XVI. Sententia Jansenii circa gratiam sufficientem seu parvam, quæ plenum ac perfectum suum effectum non assequitur propter virium defectnm, & potentiæ relativæ ad præsentes

sub-

ſubjecti circumſtantias'erronea eſt, ac rejicienda. XVII. Juſtis omnibus urgente præcepto confertur à DEO gratia verè ſufficiens per quam relativè ad eorum actualem, ac præſentem concupiſcentiam, poſsunt & tentationes ſuperare, & mandata hic & nunc obſervare. XVIII. Omnibus fidelibus dantur gratiæ ſufficientes, quibus, & peccata cavere, & à peccatis reſipiſcere poſsunt. XIX. Infidelibus dantur quædam gratiæ ſufficientes, quibus fidem, & ſalutem obtinere poſſint. XX. Excœcati, & indurati non omnino penitus privantur auxiliô gratiæ ſufficientis. XXI. DEUS omnium infantium ſalutem non tantùm verè ac ſincerè vult voluntate antecedente, ſed etiam media ipſis præparavit, ac de illis applicandis ſufficienter, quantum ex ſe eſt providit. XXII. Admittendam eſse gratiam ex ſe ſeu natura ſua efficacem cum Thomiſticis conſtanter ſuſtinemus.

EX

EX TRACTATU
de Incarnatione.

I. MYſterium Incarnationis ſive ante ſive poſt revelationem ſola naturali ratione poſitivè demonſtrari non poteſt; ſed negativè duntaxat. II. Poſſibile eſt, ſeu nullam internam pugnam ac repugnantiam includit myſterium Incarnationis. III. Invictè contra Judæos demonſtratur, jam diu advenisse promisſum Meſſiam. IV. Chriſtus eſt ille Meſſias toties in Veteri teſtamento promiſſus, & delineatus. V. Adverſus gentiles demonſtrari poteſt adveniſse Chriſtum Meſſiam iîs omnibus generatim momentis, quibus Chriſtiana Religio evidenter credibilis creditur, prophetiarum ſcilicet eventu, auctoritate evangelicæ enarrationis, miraculorum ſplendore, martyrum conſtantia, ſtupenda medios inter cruciatus Religionis Chriſtianæ propagatione. VI. Ita neceſſaria fuit Chriſti ſatisfactio,

ut

ut de potentia DEI ordinaria jure ac virtutibus temperata non potuerit homo lapſus aliò pacto quàm per condignã Chriſti ſatisfactionẽ reparari. VII. Homo purus non poteſt DEO condignè ſatisfacere vel pro ſuo vel pro alieno peccato mortali etiam pro veniali. VIII. Chriſtus pro nobis verè ac propriè Divinæ juſtitiæ ſatisfecit. IX. Chriſtus ſibi meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, Eccleſiæ ſuæ ſplendorem, firmitatem diffuſionem. X. Motivum totale, & adæquatum Incarnationis Verbi Divini fuit humani generis redemptio: Unde ſi Adam non peccaſſet Chriſtus non veniſset. XI. Una eſt in Chriſto Perſona: Unus eſt Chriſtus: Beata Virgo verè Deipara, ſeu Deigenitrix eſt, ac dicitur. XII. Neſtorius legitime ac canonice ab Epheſina Synodo damnatus, ac depoſitus fuit. XIII. Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus Perſonæ duntaxat

Neſto-

Nestorii non ejus errori adhæsit. XIV. S. Cyrillus Nestorium impugnans in oppositum Apollinaris errorem lapsus non fuit; ejusque scripta ab omni erroris labe, qua ab orientalibus aspersa fuerant, aliena omnino sunt ac pura. XV. Duæ sunt in Christo post unionem inconfusæ ac impermixtæ naturæ Divina scilicet, & humana salvis utriusque proprietatibus. XVI. Verbnm Divinum veram nobisque consubstantialem humanitatem, soliduum corpus, veram carnem ex Beata Virgine natam assumpsit. XVII. Duplex fuit in Christo voluntas, & operatio. VIII. Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto seu respectu ipsius Personæ. XIX. Non est admittenda commucatio Idiomatum in abstracto proprietatum naturæ Divinæ respectu humanæ, multò minus proprietatum naturæ humanæ respectu Divinæ, unde prorsus falsæ sunt propositiones

Lu-

Lutheranorum: *Humanitas Christi est ubiq; & omnipotens &c.* XX. Christus verè liber fuit non tantùm circa circumstantias imperatæ mortis, sed etiam circa mortem ipsam. XXI. Humana Christi natura hypostaticè verbo conjuncta eadem, & unica cum Divinitate Verbo adoratione colenda est. XXII. Bonum est, atque utile invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant. XXIII. Non ita quidem frequens; attamen fuit aliquis apud Christianos tribus primis Ecclesiæ sæculis imaginum usus; Earumq; imaginũ cultus licitus est, nec idolatriæ incusandus; Idemq; cultus merito ac licitè Reliquiis SS. impenditur.

Ex Jure Civili-Canonico.

I. JUrisprudentia est vera scientia. II. Jus naturale formaliter, & directè mutari non potest. III. Jus Gentium est totum positivum humanum. IV. Prima, & adæquata Divisio Personarum est in Liberos

&

Servos. V. Natus ex Matre libera & Patre Servo eſt ingenuus. VI. Ad Libertatem partus ſufficit Matrem fuiſse liberam ſive tempore conceptionis ſive medio, ſive nativitatis. VII. Exiſtenti in utero relinqui poteſt libertas tam directa quàm fidei commiſsaria. VIII. Domino in corpus ſervi, & ſervo in corpus ſuum ſævire non licet. IX. Adoptio ſimplex non operatur effectũ Patriæ poteſtatis. X. Quarta piana arrogati impuberis in caſu injuſtæ emancipationis, vel exhæredationis eſt quarta pars omnium bonorum arrogantis. XI. Arrogatio non operatur effectum Nobilitatis. XII. Nudus Doctoratus non ſolvit Patriã poteſtatem. XIII. Pater Filio exhæredato teſtamento tutorem dare poteſt XIV. Tutela etiam teſtamentaria delata Matri, aut Aviæ ſolvitur per ſecundas nuptias XV. Pupillus ex Contractu ſibi oneroſo ſine auctoritate Tutoris inito non obligatur Civi-

liter

liter sive in foro externo; Imò nec naturaliter id est in foro conscientiæ. VI. Bona jure alieno gravata non sunt in pleno Dominio Domini. XVII. Dominium vel possessio duorum in solidum ejusdem rei dari non potest. XVIII. Mare cum littoribus est res communis; Ejusque termini quo ad jurisdictionem sunt acquisiti Principibus. XIX. De Jure Communi quilibet in fundo & flumine proprio exstruere potest v. g. Molendinum, etsi per accidens sequatur aliquod damnum Dominis vicina molendina habentibus. XX. Ripæ fluminum publicorum quò ad proprietatem sunt Dominorum vicina prædia habentium. XXI. Occupans feram liberam etiam in alieno fundo suam facit. XXII. Fera vulnerata fugiens non est vulnerantis. XXIII. Princeps ex justis Causis potest subditis prohibere venationem.

Ad Majus Pietatis Incrementum.